

1 Cosa tocca sentire!

Pyrgopolynices Curate ut splendor meo sit clupeo clarior
 quam solis radii esse olim quom sudumst solent,
 ut, ubi usus veniat, contra conserta manu
 praestringat oculorum aciem in acie hostibus.
 nam ego hanc machaeram mihi consolari volo,;
 ne lamentetur neve animum despondeat,
 quia se iam pridem feriatam gestitem,
 quae misera gestit ~ et fartem facere ex hostibus.
 sed ubi Artotrogus hic est?

Artotrogus Stat propter virum
 fortem atque fortunatum et forma regia;
 tum bellatorem — Mars haud ausit dicere
 neque aequiperare suas virtutes ad tuas.

Pyrg. Quemne ego servavi in campis Curculionis,
 ubi Bumbomachides Clutomistaridysarchides
 erat imperator summus, Neptuni nepos?

Art. Memini. nempe illum dicis cum armis aureis,
 cuius tu legiones difflavisti spiritu,
 quasi ventus folia aut paniculum tectorium.

Pyrg. Istuc quidem edepol nihil est.

Art. Nihil hercle hoc quidemst
 praeut alia dicam—quae tu numquam feceris.
 periuriorem hoc hominem si quis viderit
 aut gloriarum pleniorum quam illic est,
 me sibi habeto, ego me mancupio dabo;
 nisi unum, epityrum estur insanum bene.

Pyrg. Vbi tu es? Art. Eccum. edepol vel elephanto in India,
 quo pacto ei pugno praefregisti bracchium.

Pyrg. Quid, bracchium?

Art. Illud dicere volui, femur.

Pyrg. At indiligenter iceram.

Art. Pol si quidem conisus esses, per corium, per viscera
 perque os elephantis transmineret bracchium.

Pyrg. Nolo istaec hic nunc. Art. Ne hercle operae pretium quidemst
 mihi te narrare tuas qui virtutes sciam.
 venter creat omnis hasce aerumnas: auribus
 peraurienda sunt, ne dentes dentiant,
 et adsentandumst quidquid hic mentibitur.

2 Sei la rovina di questa casa!

GRVMIO Exi e culina sis foras, mastigia, qui mi inter patinas exhibes argutias. egredere, erilis permities, ex aedibus. ego pol te ruri, si vivam, ulciscar probe. exi, inquam, nidor, e culina. quid lates?	5
TRANIO quid tibi, malum, hic ante aedis clamitatio? an ruri censes te esse? abscede ab aedibus. abi rus, abi diirecte, abscede ab ianua. em, hocine volebas? GR. Perii. cur me verberas?	9-10
TR. Quia vivis. GR. Patiar. sine modo adveniat senex. sine modo venire salvom, quem absentem comes. TR. Nec veri simile loquere nec verum, frutex, comesse quemquam ut quisquam absentem possiet.	11
GR. Tu urbanus vero scurra, deliciae popli, rus mihi tu obiectas? sane hoc, credo, Tranio, quod te in pistrinum scis actutum tradier. cis hercle paucas tempestates, Tranio, augebis ruri numerum, genus ferratile.	15
nunc, dum tibi lubet licetque, pota, perde rem, corrumpe erilem adulescentem optimum; dies noctesque bibite, pergraecamini, amicas emite liberate, pascite parasitos, obsonate pollucibiliter.	20
haecine mandavit tibi, quom peregre hinc it, senex? hocine modo hic rem curatam offendet suam? hocine boni esse officium servi existumas, ut eri sui corrumpat et rem et filium?	25
nam ego illum corruptum duco, quom his factis studet; quo nemo adaeque iuventute ex omni Attica antehac est habitus parcus nec magis continens, is nunc in aliam partem palmam possidet. virtute id factum tua et magisterio tuo.	30
TR. Quid tibi, malum, me aut quid ego agam curatio? an ruri quaeso non sunt, quos cures, bovis? lubet potare, amare, scorta ducere. mei tergi facio haec, non tui fiducia.	35
GR. Quam confidenter loquitur. TR. At te Iuppiter dique omnes perdant, fu, oboluisti alium. germana inludies, rusticus, hircus, hara suis, caeno kopron commixte.	40